

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Quante igitur nobilitatis ac fortitudinis o amantissime
 Deus est gratia tua, qua tanta operatus, cuius proinde
 minimus gradus superat omnem potentiam huius mundi.
 O Deus protector vite mee perfunde iugiter cor meum
 potenti gratia tua, qua mecum sis semper, meum la-
 borel, me protegat, et confortet; cum ea erim etiam trans-
 gradiar murum, superabo omnia salutis obstacula. Et
 consistant adversum me castra non timebit cor meum,
 si exurgat adversum me praelium, in ea ego sperabo triumphum.

ps. 71.

ps. 76.

Caput XXIV. Aspiraciones ad Deum ob eius magnificentiam.

i Si Regina Saba videns magnificentiam Salomo-
 nis, ac omnia opera eius magnifica, non habebat ul-
 tra spiritum, quomodo o dilectissime Deus, non de-
 ficiam animo, si sublimem gloriam tuam, ac omnia
 magna opera tua seria mente considerem? Quid est
 enim omnis magnificentia huius regis, si tua confera-
 tus, nisi umbra luci comparata. Et sane mirum est,
 si maiestas tua que est infinita, magnificentiam tuam
 creaturae finitam in immensum non superaret. aut
 si celorum immensitas, astrorum vastitas, elementorum
 magnitudo, ac omnium rerum in universo mundo ex-
 istentium pulcherrimus ordo, que omnia clamant:
 ipse fecit nos, non majori admiratione digna forent,
 quam magnificentia v.g. domus, quam edificaverat Sa-
 lomon. O mi Deus, quam magnificus es, qui tam
 magna et inscrutabilia, ac mirabilia absq; numero
 facis. Vere elevata est magnificentia super coelos, dig-
 nus proinde omni veneratione, admiratione et di-
 lectione. Aperi ergo Domine Deus oculos meos, ut videam
 quam admirabilis, et quam amabilis sit magnificentia

ps. 8.

qua. Effice obsecro, ut ea totum cor meum ad se rapiat
atque ita despiciens omnia, quae videntur in hoc mundo
magnifica, in ea mihi unice complaceam.

7. O Domine Deus non solum magnificus es in operi-
bus natura, sed etiam in operibus gratiae, in quibus tanto
maiores ostendis magnificentiam, quanto gratia sub-
limior est natura. Et quid obsecro magnificentius, quam
ut per gratiam tuam contra sanctorum adeo purifices,
ornes, et extollas, ut digna habitatio Spiritus S. ef-
ficiantur, imo ut ad tuos amplexus asurgere, tuamque ami-
citiā frui valeant? Quod magnificentius, quam ut ani-
ma humana per gratiam non dum angelis coaequetur
iuxta illud: aequivalui meo assimilari te, o amica mea,

cant. i.

sed etiam eos superet quemadmodum sanctissima Virgo
Maria. Quam autem magnifica sint caetera gratiae
suae dona, ex pretio, quo tibi condiderunt, elucescit; quia
non corruptilibus auro vel argento redempti sumus

i Pet. i.

de vana nostrā conversatione, sed pretioso sanguine
quasi agni immaculati Christi, et incontaminati filii
tui. Quod si magnificus est, qui magnam auri co-
piam in superbis aedificiis insumpsit, quam magnificus
erit, qui talem ac tam pretiosum sanguinem in sanc-
tis purificandis effudit? Adoro ego hanc stupendam
magnificentiam tuam et suppliciter efflagito, ut illius
particeps abundanter efficiar. O Deus, qui es magni-
ficus in sanctitate, sanctifica me.

Exod. 15.

3. Verum O Domine Deus, apud te longe adhuc su-
blimiora ac magis magnifica reperiuntur opera, quae
sancti omnem intellectum superant, nempe opera caeles-
tis gloriae. In his profecto super omnem modum mag-
nificus inveniris; tanta quippe sunt, ut non sint con-
dignae passionibus huius temporis, etsi innumere forent,

Rom. 8.

Aster. i.

ad ea promerenda. O mi Deus, si felices se quodammodo
 arbitrari poterant, qui assueri convivio per centum
 et octoginta dies fruebantur, ubi omnia non nisi
 regiam magnificentiam redolebant; quanto feliciores
 se reputare debent, qui magna mensa supernae civitatis
 tuae, quam electis tuis preparasti, ut ostenderes divitias
 gloriae regni tui, perpetuo aspicere merentur. O quam
 ibi sunt omnia magnifica, quae nec oculus unquam
 vidit, nec auris audivit, nec quidquam horum in cor ho-
 minis ascendit. Ibi certe inestimabiles divitiarum the-
 sauros amicis tuis erogas, quia eis semetipsum tanquam
 infinitum ac imensum bonum tribuis. O amantissime
 Deus, utinam aliquando haec dulcissima verba audire
 merear: Euge serve bone et fidelis intra in gaudium Do-
 mini. Hoc est, quod spero, quod suspiro, quod desidero.
 O pater misericordiarum, fac obsecro per merita filii
 tui, ut non sit vana spes mea, nec vacuum desiderium
 meum, sed tandem fruatur magnificentiam regni tui, et
 satietur, cum apparuerit gloria tua.

ps. 16

Caput XXV.

Aspirationes ad Deum ob
 eius pietatem.

i O Deus meus O fidelis amator animae meae, vides,
 quod servi bene morati Dominum suum, qui pius et
 benignus est, valde diligant, eiq; fideliter obsequan-
 tur, cur et ego te Dominum Deum meum non im-
 pense diligo, tibiq; summa fidelitate servio, cum tua
 pietas ac benignitas erga me meiq; similes adeo magna
 sit, ut superet omnem captum; quis enim unquam cre-
 deret, nisi fides doceret, tantam suam erga nos esse